

attentione, illa major attentio sit in hominis potestate, et ex ejus pendeat voluntate, vel non ita pendeat, sed necessarium sit ut ab extrinseca causa proveniat. Si hoc posterius dicitur, aperte sequitur ante illam majorem attentionem non habere voluntatem vim ad consentiendum, neque immediate, quia non potest consentire sine majori attentione, neque mediate, quia non potest intellectum ad majorem attentionem applicare, ut in responsione supponitur. Atque ita fit ut alter, qui non consentit ex defectu talis attentionis, non libere, sed necessario non consentiat, et ita illa inæqualitas non erit respectu voluntatum libere operantium, de quibus nunc tractamus. Et præterea instari potest, quia, posita illa majori attentione, undecunque proveniat, voluntas adhuc libera est, et ita in duobus habentibus eundem attentionis gradum idem argumentum fieri potest.

34. *Rursus objicitur et respondetur.* — Si vero tandem dicatur illa major attentio esse in potestate hominis, et ab ejus libertate pendere, quidquid sit de veritate assertionis, quam nunc expendere non est necesse, inde aperte sequitur illam majorem attentionem non esse ex conditionibus prærequisitis ad usum libertatis, et consequenter in præsentia materia, sequitur illam conditionem non pertinere ad prævenientem gratiam, quæ sine cooperatione libera nobis datur, sed ad subsequentem respectu prioris gratiæ, et comitantem respectu alicujus liberi usus. Et id non obstat quominus verissimum sit duos homines, cum eisdem auxiliis gratiæ prævenientis, diversimode usos esse libertate sua, et inde tandem factum esse ut unus, verbi gratia, voluerit credere, et non alius. Probatur assumptum, quia ex illis hominibus, qui æquales inspirationes receperunt, unus applicuit mentem suam ad magis recogitandum, et alius non applicuit, licet libere possit; hæc autem est prima inæqualitas, ex qua aliæ oriri possunt; illa autem non supponit auxilia prævenientia inæqualia, ac proinde nec ab illis provenit, sed, ex parte ejus qui non amplius considerat, oritur ex sola libertate; ex parte vero alterius, major attentio fit ex positivo usu liberæ voluntatis applicantis intellectum, qui usus non pertinet ad solam gratiam prævenientem, sed ad cooperantem simul cum libero influxu voluntatis; ergo simpliciter verum est illos cum æqualibus prævenientibus auxiliis inæqualiter operatos fuisse.

35. Atque hic discursus, quem de majori atten-

tionem vel consideratione fecimus, fieri potest de iudicio practico, si dicatur esse in uno et non in alio, et de quacumque alia conditione prærequisita, sive positive, sive private, tanquam remotio impedimenti. Nam similiter interrogabo an remotio talis impedimenti necessaria sit ad consensum, necne. Si enim non est necessaria, frustra petitur, quia, stante eodem impedimento, licet unus non consentiat, stabit consensus alterius, cum ad illum præstandum non sit necessaria prævia impedimenti remotio. Si vero est necessaria, petendum ulterius est an subsit voluntati libertatis; nam si non subsit, ille a quo tale impedimentum non tollitur non poterit consentire, et ita cessat comparatio quam tractamus; inter eos enim fieri debet, qui libere possunt consentire vel dissentire: si vero remotio talis impedimenti est in potestate libera voluntatis, non est necesse ut per majorem gratiam prævenientem fiat, cum possit fieri per usum libertatis cum comitante gratia, supposita aliqua priori sufficienter excitante. Et tunc inter duos æqualiter vocatos, prima inæqualitas in usu libertatis esse poterit, quod unus libere fugit impedimenta, et alius, licet possit idem facere, negligit pro sua libertate; ergo ex hoc capite neque invenitur necessaria inæqualitas in prævenientibus auxiliis, neque etiam illud principium in illo fundamento positum est universaliter verum, quia, stantibus omnibus prærequisitis ad usum libertatis in duobus hominibus, optime fieri potest ut inæqualiter incipiant libere operari, sive immediate procedant in consensum vel dissensum, sive in diversam applicationem intellectus, sive in quascumque alias conditiones varias, ex quibus tandem in consensum vel dissensum deveniatur.

36. *Evacuantur probationes in contrarium positæ.* — *Ad primam confirmationem.* — Neque obstant probationes in contrarium positæ: ad principalem enim rationem, respondetur voluntatem quidem nunquam moveri, nisi sub aliqua ratione cognita in objecto, in quo sensu verum est nunquam moveri nisi per rationem; tamen, quia illa ratio non est cogens, neque efficaciter determinans voluntatem, et quia cum una ratione volendi potest in eodem objecto esse conjuncta alia ratio non volendi, ideo, stante æquali consideratione prævia utriusque rationis, stat voluntatem consentire aut dissentire suo arbitratu, sive non interveniat diversum iudicium practicum, sive interveniat, dummodo illud sit subsequens liberam

motionem ejusdem voluntatis, alioqui necessitas ejus repugnaret libertati, juxta discursum proxime factum. Ad primam confirmationem, negatur sequela, nimirum, voluntatem pro sua libertate posse ferri diligendo in malum sub ratione mali, quia illud non continetur sub tota latitudine objecti voluntatis: libertas autem solum potest exerceri intra latitudinem objecti.

37. *Ad secundam.* — Ad secundam confirmationem, ut nunc abstrahamus a longa disputatione morali, an possit esse defectus culpæ in voluntate sine prævio defectu in intellectu, respondeo breviter, licet demus semper præcedere vel comitari aliquem errorem, vel aliquam inconsiderationem intellectus, quoties voluntas peccat, non tamen esse necessarium ut illa inconsideratio vel error præcedant omnem usum libertatis; sæpe enim sunt voluntaria, nam ipsa voluntas quasi excæcat intellectum, vel præcipitat illum ad iudicium practice erroneum, ut liberius quo vult tendat. Et hoc satis est ut omnis qui peccat, ignorans vel errans appelletur. Et ideo non obstat quominus is, qui consentit tentationi, æquale auxilium præveniens habeat cum illo qui resistit, quia ille defectus considerationis, qui fortasse in uno invenitur, et non in alio, non provenit necessario ex defectu auxilii prævenientis, sed potest esse ex defectu auxilii concomitantis, ob negligentiam et voluntarium defectum ejus qui peccat. Addo etiam fieri posse ut is qui peccat, et is qui resistit, æqualem habeant considerationem, et quod in præscientia Dei uni sit congrua, et alteri non congrua ad resistendum. Unde saltem fit ut possit aliquando is qui resistit, non habere majorem considerationem, quam alius habeat qui non resistit, quia illa potest esse absolute sufficiens ad resistendum tentationi, et nihilominus respective uni esse congruam, et non alteri. Unde etiam fiet ut is qui non resistit, in re ipsa careat aliqua consideratione, qua hic et nunc indigeret ad resistendum; illa vero indigentia non nascetur in illo ex intrinseca impotentia voluntatis, sed ex informitate suæ libertatis, quam Deus ita operaturam prævidit; et ita illud peccatum non est sine defectu inconsiderationis; illa tamen, ut dixi, voluntaria est, quia posset et deberet amplius considerare, quod cum æquali gratia excitante facere potuisset; et ideo etiam tunc cum æquali præveniente gratia unus resistit, et alius non resistit.

38. *Ad tertiam.* — Ad tertiam confirmatio-

nem de objectis seu mediis æqualibus, respondemus negando assumptum; potest enim voluntas in eo casu eligere quod voluerit, imo in hoc maxime consistit dominium voluntatis, quod in libertate evidentiùs elucet, et illius participatio necessaria est voluntati creatæ, ut in sua determinatione libera sit, alioqui semper esset ab intellectu vel objecto determinanda, etiam quoad exercitium actus, quod repugnat libertati. Ut autem voluntas tunc eligat, sufficiens ratio est, quod in uno objecto vel medio invenitur motivum sufficiens ut eligatur, et in altero nihil est quod necessitet ad ejus electionem, et ideo pro sola libertate voluntatis potest non appeti. Et quia in hoc est æqualitas in utroque medio, ut unum assumatur et aliud relinquatur, potius quam e converso, non est necessarium speciale motivum, sed sola libertas sufficit. Neque oportebit ut in uno minores difficultates aut impedimenta appareant, quia eadem de illis est ratio. Nam, ut dixi, et semper voluntas potest ab intrinseco se impedire, ut sic dicam, etiamsi extrinseca impedimenta non adsint; et e converso, licet adsint impedimenta æqualia, vel etiam majora, dummodo inevitabilia non sint, potest sua libertate illa superare. Et ideo semper voluntas est libera ad eligendum, non solum inter æqualia, sed etiam inter inæqualia, quod voluerit præferendo, ut in 4. 2. quæst. 13, latius disseritur.

39. *Fundamenti sententiæ altera pars.* — Ad alteram partem, in qua prædicta generalis doctrina ad auxilia prævenientia gratiæ applicabatur, jam fere responsum est, quia vel necessarium non est aliquam inæqualitatem præcedere ante consensum vel dissensum, vel quamvis interdum præcedat, non oportet ut sit in auxiliis excitantibus, seu prævenientibus, nam potest esse in aliquo usu libero prioris prævenientis auxilii, qui usus sit veluti via, seu prævia quædam dispositio ad supernaturalem consensum, propter quem excitantia auxilia principaliter data sunt, ut de majori attentione aut recogitatione, aut alia simili conditione explicuimus. Ad testimonia autem Scripturæ et Patrum, quæ in contrarium inducebantur, responsio ex tertia suppositione sumenda est, illam enim tantum probant; nam semper qui convertitur, a Deo recipit auxilia congrua, quibus a Deo efficaciter trahitur ad consensum, et hæc est singularis misericordia Dei, quæ non potest in merito hominis fundari. Unde ratione illius dicitur Deus cujus vult misereri, et trahere

quem vult, etiamsi auxilia in sua entitate majora non conferat illi quem sic vocat.

40. *Ultimum Augustini testimonium exponitur.* — Solum ergo ultimum Augustini testimonium, ex 2 de Peccator. merit. et remiss., cap. 17 et sequentibus, indiget aliqua expositione; nam ibi rationem diversitatis inter alios vocatos, quorum unus consentit, et alius resistit, inde sumere videtur, quod in altero eorum aliqua major cognitio vel delectatio præcedat. Responderi autem potest imprimis Augustinum reddidisse rationem moralem, ex his quæ frequentius accidunt, non quæ in rigore semper necessaria sit. Deinde dici potest Augustinum vocasse *certam scientiam, aut victricem delectationem*, vocationem congruam, quæ semper et infallibiliter consequitur effectum, et ideo, si in illuminatione consistit, potest dici *certa*, quia semper hominem certiore reddit, etiamsi in se fortasse intensior aut elarior non sit, et si in delectatione consistit, dici potest *victricis* delectatio, quia semper vincit, etiamsi fortasse major in sua entitate non sit. Unde dici etiam potest quod, licet in uno præcedat major aliqua attentio, vel affectio, seu delectatio, illa inæqualitas non provenit ex sola excitante gratia, sed adjuncto usu libertatis, ut in superiori puncto explicuimus.

#### CAPUT XLIX.

DUBIUM APPENDIX DE CONCORDIA GRATIÆ EFFICACIS CUM GRATUITA ET EFFICACI ELECTIONE AC PRÆDESTINATIONE SALVANDORUM OMNIUM, ET CUM DIVINA PROVIDENTIA AC PRÆDEFINITIONE ACTUUM LIBERORUM HUMANÆ VOLUNTATIS.

1. *Summa capituli.* — Cogimur in hoc capite explicare concordiam efficacis gratiæ prout a nobis declarata est, cum divina electione prædestinatorum, præfinitione actuum liberorum, et in universum cum perfectione divinæ providentiæ; tum quia hæc omnia ita sunt cum gratia connexa, ut non possit sine compositione illorum inter se doctrina hæc consummari; tum maxime quia defensores physicæ prædeterminationis existimant vera dogmata de illis omnibus sine tali genere prædeterminantis auxilii non posse consistere, et ideo non solum nobis objiciunt, sed etiam tribuunt multa quæ, iudicio illorum, vel absurda, vel etiam erronea sunt, quia ex nostra

sententia sequi contendunt. Proponemus ergo sigillatim objectiones eorum, et occasione illarum, veram concordiam in illis omnibus, quæ proposuimus, ostendemus.

2. *Obiectio prima, de electione gratuita prædestinatorum ad gloriam.* — Prima obiectio sumitur ex electione gratuita prædestinatorum ad gloriam. Supponunt enim, ex sententia Augustini et D. Thomæ, necessarium esse confiteri Deum in æternitate sua, ante præscientiam omnium meritorum, absoluto et immutabili decreto, statuisset tot et talibus hominibus æternam beatitudinem conferre in tali gradu et perfectione, et non pluribus neque paucioribus, quod decretum vel electio gratuita prædestinatorum vocatur. Ablata igitur necessitate prædeterminationis physicæ, et posita efficacitate gratiæ, dependente aliquo modo a cooperatione liberi arbitrii, sequi necessario existimant discretionem inter electos et non electos, non ex Deo, sed ex hominibus esse sumendam, ac proinde tolli electionem gratuitam ex parte Dei. Unde quidam illorum patrum, ex nostra sententia intulit non Deum eligere homines, sed potius homines eligere Deum, contra illud: *Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos*, Joan 15. Probatur sequela, primo, quia ita Deus ordinavit prædestinatos ad gloriam, ut per actus liberos illam adipiscantur; sed, juxta nostram sententiam, decretum Dei efficax et antecedens repugnat libertati; ergo, juxta nostram sententiam, non potuit in Deo talis electio seu decretum præcedere. Vel secundo, ut Deus habeat tale decretum, necesse est ut sola sua virtute possit efficaciter determinare homines ut salvari velint et media salutis implere per actus liberos; sed, juxta nostram sententiam, Deus non habet talem potestatem, quia sine auxilio prædeterminante non potest esse talis efficacia quæ sufficiat ad certitudinem dictæ electionis, et nos negamus tale genus auxilii; ergo. Quod si respondeamus, posita præscientia conditionata, posse consistere sufficientem mediorum efficaciam et certitudinem sine prædeterminatione, contra hoc insurgunt, primo, impugnando scientiam conditionatam et certitudinem ejus, nisi fundatur in antecedente decreto. Secundo, inferendo eo ipso sequi, electionem ad gloriam non esse ante omnem præscientiam meritorum, ac proinde non esse omnino gratuitam, quia non elegit hunc potius quam illum, nisi quia novit hunc fuisse consensurum vocationi, et non illum, et ita in tempore non ideo Deus trahet hominem, quia

elegit eum in æternitate, sed potius, quia prævidit hominem fore eligentem Deum tali tempore, elegit illum ex æternitate. Tertio, similiter inferunt numerum salvandorum non esse certum in divina electione, et vocatione, et in præscientia, quod etiam repugnat gratiæ electioni.

3. *Obiectio secunda, de actibus liberis.* — Secunda obiectio huic similis est, quia sequitur, ex nostra sententia, Deum non prædefinire actus liberos, quia si illos prædefiniret, illa præfinitio esset suppositio antecedens, ut illa particula *præ* denotat, et ita tolleretur libertatem, juxta nostra principia. Et confirmatur hæc obiectio, quia juxta illam sequitur consequenter actus liberos evenire præter intentionem Dei, quod multum derogat perfectioni divinæ providentiæ. Sequela probatur, quia intentio dicit decretum absolutum ac præfinitum voluntatis; sed Deus non habet tale decretum circa actus liberos, qui de facto eveniunt; ergo præter intentionem Dei eveniunt.

4. *Obiectio tertia, de providentia.* — Tertia obiectio est, quia sequitur Deum non habere perfectam providentiam omnium effectuum causarum secundarum in particulari; quod est absurdum, ut per se constat. Sequela patet, quia providentia dicit rationem prædisponentem de futuris eventibus; ergo perfecta providentia postulat perfectam dispositionem omnium in particulari, absolute statuendo quid in singulis momentis et actibus omnis causa secunda factura sit, quod non fit sine absoluta omnium prædefinitione; ergo, ablata hujusmodi prædefinitione, aufertur perfecta providentia. Et confirmatur, quia, sine tali providentia, non est perfecta gubernatio, quia hæc in eo posita est, quod Deus, tanquam supremus Dominus, utatur omnibus causis secundis et omnibus voluntatibus, applicando illas quo voluerit, et ubi, quando, et quomodo voluerit, qui usus non potest esse sine universali præfinitione. Assumptum patet, quia dominium est potestas utendi, unde in usu perfecto ostenditur plenitudo domini; usus autem est applicatio potentiæ ad opus, ex D. Thoma 1. 2, quæst. 16; ergo, si Deus non applicat inferiores causas, et præsertim voluntates humanas ad suas operationes, non perfecte utitur illis; ergo neque perfecte eas gubernat, et consequenter neque perfecte eis providet, quia gubernatio est effectus providentiæ.

5. *Obiectio quarta, de perfectione providentiæ circa peccata.* — Quarto, specialiter objicitur de perfectione providentiæ circa peccata,

non solum ut actus sunt, sed etiam ut peccata sunt; neutro enim modo salvatur perfecta Dei providentia circa illa, juxta nostram sententiam. Prior pars probatur, quia actus peccatorum, juxta nostram sententiam, non præfinitur a Deo; ergo neque intenduntur ab ipso; ergo fiunt præter intentionem Dei, et sine ipsius voluntate, quod est contra perfectionem providentiæ. Altera pars probatur, quia, licet peccata, ut peccata, solum permittantur a Deo, tanta vero sapientia illa permittit, ut illis non minus utatur ad fines suæ providentiæ, quam si illa ordinaret, ut videre licet in peccato crucifigentium Christum, et in peccato fratrum qui Josephum Ægyptiis venderunt, et similibus; hoc autem tam excellens providentiæ genus non potest consistere sine præfinitione talium actuum, quia permissio pure spectata relinquit voluntatem omnino indifferentem sine ulla determinatione; ergo per se sola, si non fundetur in aliqua præfinitione, non potest esse medium certum ad aliquem finem. Unde confirmatur, quia quod Deus permittit, infallibiliter evenit, ut in induratis contingit, juxta illud: *Nemo potest corrigere quem tu ipse desperaveris*. At hoc intelligi non potest sine præfinitione; ergo.

6. *Difficultates objectionum.* — Punctum primum, de efficaci electione prædestinatorum. — Hæ objectiones duas præcipue attingunt difficultates; una est de ordine prædeterminationis quoad gratuitam electionem, in qua prædestinatio vel consistit vel fundatur; alia est de præfinitione actuum liberorum. Et hæc duo pendunt ex alio puncto, an, scilicet, in divina voluntate ordo intentionis et executionis distinguendi sint. Quæ tria breviter attingam, propter hujus materiæ complementum, nam in 1 part., et in lib. de Auxil., latius hæc disputata sunt. In primo ergo puncto, antiqua et celebris opinio Theologorum fuit, Deum peculiari actu, et proposito absoluto voluntatis suæ, ita dilexisse omnes homines, qui salvandi sunt, ut, ante omnia bona et mala merita omnium parium hominum prævisa, a cæteris non salvandis discreverit, et ad æternam gloriam infallibiliter consequendam destinaverit: postea vero docti aliqui moderni, licet hunc actum gratiæ electionis divinæ prædestinatorum ad gloriam non negaverint, dixerunt tamen non esse priorem, etiam ratione, voluntate dandi, et constituendi prædestinatos in tali ordine rerum, in quo infallibiliter talia haberent merita, per quæ tantam gloriam consequerentur. Quam opinionem secu-